


REDTENBACHER, JOSEPH

**Dissertatio inauguralis botanica de  
Caricibus territorii vindobonensis**

Wallishausser  
Vindobonae  
1834

# EOD – Millionen Bücher nur einen Mausklick entfernt! In mehr als 10 europäischen Ländern!



## Danke, dass Sie EOD gewählt haben!

Europäische Bibliotheken besitzen viele Millionen Bücher aus der Zeit des 15. – 20. Jahrhunderts. Alle diese Bücher werden nun auf Wunsch als eBook zugänglich – nur einen Mausklick entfernt. In den Katalogen der EOD-Bibliotheken warten diese Bücher auf Ihre Bestellung - 24 Stunden täglich, 7 Tage die Woche. Das bestellte Buch wird für Sie digitalisiert und als eBook zur Verfügung gestellt.

## Machen Sie Gebrauch von Ihrem eBook!

- ➲ Genießen Sie das Layout des originalen Buches!
- ➲ Benutzen Sie Ihr PDF-Standardprogramm zum Lesen, Blättern oder Vergrößern. Sie benötigen keine weitere Software.
- ➲ *Suchen & Finden:* Mit der Standardsuchfunktion Ihres PDF-Programms können Sie nach einzelnen Wörtern oder Teilen von Wörtern suchen.\*
- ➲ *Kopieren & Einfügen* von Text und Bildern in andere Anwendungen (z.B. Textverarbeitungsprogramme)\*

\* Nicht in allen eBooks möglich.

## Allgemeine Geschäftsbedingungen

Mit der Nutzung des EOD-Services akzeptieren Sie die allgemeinen Geschäftsbedingungen. Die Benutzung erfolgt ausschließlich für private nicht kommerzielle Zwecke. Für alle anderen Zwecke kontaktieren Sie bitte die Bibliothek.

- ➲ Allgemeine Geschäftsbedingungen in Englisch: <http://books2ebooks.eu/odm/html/muw/en/agb.html>
- ➲ Allgemeine Geschäftsbedingungen in Deutsch: <http://books2ebooks.eu/odm/html/muw/de/agb.html>

## Weitere eBooks


Schon über 30 Bibliotheken in mehr als 12 europäischen Ländern bieten diesen Service an.


Finden Sie weitere Bücher zur Digitalisierung: <http://search.books2ebooks.eu>


Mehr Information: <http://books2ebooks.eu>

Institut für Geschichte der Medizin  
Wien

D 3.678







DISSE<sup>T</sup>ERTATIO

INAUGURALIS BOTANICA

DE

# CARICIBUS

TERRITORII

## VINDOBONENSIS,

QUAM CONSENSU ET AUCTORITATE

EXCELLENTISSIMI AC ILLUSTRISSIMI DOMINI

PRAESIDIS ET DIRECTORIS,

PERILLUSTRIS AC SPECTABILIS DOMINI

DECANI,

NEC NON

CLARISSIMORUM D. D. PROFESSORUM

PRO

DOCTORIS MEDICINAE LAUREA

RITE OBTINENDA

IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA UNIVERSITATE VINDOBONENSI,

PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT

*Josephus Redtenbacher,*

KIRCHDORFENSIS EX AUSTRIA SUPERIORE.



In Theses adnexas disputabitur in Universitatis aedibus  
die 3. Maii 1834.




VINDOBONAE,

TYPI<sup>S</sup> JOANNIS B. WALLISHAUSSER.

3678






# PATRI OPTIMO



GRATISSIMUS FILIUS.



## CANDIDO LECTORI.

Flora vindobonensis, a Clusio usque Jacquini  
os ob plantarum ubertatem et varietatum divi-  
tias ab omnis aevi botanicis omni directione  
perquisita, ob raritates semper celebrata, et ad  
maxime notabiles et insignes zone temperatae  
referta, et mihi non quidem botanico sed ta-  
men botanophilo, per annos academicos sat  
crebro quoquovorum excurrenti, multas varia-  
que delicias struxit. Inter alias, quas in deli-  
ciis habui, nescio qua fortuna ductus, p[re]a re-  
liquis plebejas, tam parum honoratas carices  
inquisitioni adcuratori subjeci, easque tam mul-  
tis, quam in territorio limitato \*) inveni va-

---

\*) Territorium de quo hic loquor iisdem limitibus circum-  
ratur, quas cl. D. Sauter in sua dissertatione inaugurali  
de Territorio Vindobonensi assumxit:

In einem Umkreise von den Hügeln bei Klosterneuburg  
und dem Leopoldsberge an der Donau angefangen, über  
den Scheiblingstein, Mauerbach, Gablitz, Burkersdorf,  
Laab, St. Veit, Sulz, Heil. Kreutz, die Berge hinter Baa-

rietatibus collegi, observavi, comparavi, con-  
junxi.

Quae observavi, et sub observatione cogi-  
tavi methodo physiographica (i. e. naturhisto-  
rische Methode) ductus hic publici juris facio,  
ut legi academicae sufficiam minime ut novi  
quidquam proferam; nam quis novi quidquam  
proferet in re tam argute tamque subtiliter  
ab aevi nostri botanicis ventilata? sed ut dubia  
mea modesta experientia firmata de speciebus  
exhibeam, ut demonstrem valorem transituum  
seu serierum physiographicarum — qui agnos-  
citur hinc inde in botanica specierum forma-  
tione — ulterius vel potius consequenti modo  
extensem et caricum specierum existentiam sub-  
laturum esse.

Gaudeo nunc publice sufficere posse, caro  
officio quod adhuc restat, et praceptoribus,  
qui innumera in me collocarunt beneficia et  
amicis qui amicitia me foverunt, aeternis gra-  
tiis fervidissimum offero animum. —

---

den, Gainfahren, Günzeldorf, Ebreichsdorf, Götzendorf  
an der Leitha hinab bis Bruck, über Stix-Neusiedl, Schwaad-  
dorf, Fischamend; jenseits der Donau von der Lobau; dem  
an der Donau gelegenen Theil des als Getreideboden an  
Pflanzen sehr armen Marchfeldes bis zum Bisamberg.

---



## De Caricibus territorii vindobonensis.

Ne varietas loco speciei sumatur, ubique cavendum est.

Hoc opus, hic labor est; adeoque summa industria inquirendum.

Linné Philosophia botanica §. 283.

**D**istinguunt botanici carices a reliquis plantis sequente charactere:

Sunt plantae gramineae di-aut monoicae, staminibus tribus, pistillo bi-trifido. Calicis loco squama, Corolla in floribus masculis nulla, in femineis gluma utriculiformis. Semen membranae induratae inclusum.

Partes, quibus distinguntur carices sunt:

Radix, culmus, vaginae radicales, folia eorumque, vaginae, bracteae, spicae, glumae, stamina, pistilli atque fructus.

Radix variarum caricum, distinguitur prouti mere fibrosa, vel plus minus repens est, et prouti culmorum foliorumque cespitem plus minusve densum laxumve producit.

Rem autem examinanti mihi, praeprimis per mutuam comparationem, sequens in mentem venit opinio.

Punctum istud, cum terrae superficie coincidens, per quod sicuti omnium fere plantarum, caricum quoque extensio verticalis in caudicem ascendentem et descendenter dividitur, rationem continet radicum varietatum. — Simplicissima forma vel potius ista ex qua consideratio egrediatur est ipsa fibrosa, ubi nempe ex unico puncto fibrillae deorsum egrediuntur variae directionis longitudinis et divisionis; est nempe ista quam observas in qualibet carice primi anni et prima vice sese evolente; est ista caricus Davalliana, remotae, clandestinae, flavae, Oderi, gyno-

baseos etc. Ex eodem puncto ex quo fibrillae descendunt, sursum oriuntur nodi, numero vario, culmi origines membrana vel potius vagina cincti. Quilibet nodus iterum nodum sursum protrudendo, hicque iterum novum et hic alterum et sic por. loq. culmum format, si directionis verticalis est; ab hac autem directione verticali usque ad horizontalem quamlibet possibilem positionem assumere potest et assumit quoque in omni fere caricae specie observandam, re et essentia non mutatus, vario tamen a botanicis titulo honoratus.

Plures etenim nodi ex unico fere puncto oriundi omnesque cum nisu instructi, culmos proferendi, eosdem non omnes verticales reddere possunt, cum ex unico puncto nonnisi unica linea verticalis oriri possit; hinc quo magis distat culmus quidam ab isto verticali eo magis quoque ejusdem directio aberrabit a verticali; nodus etenim centrali proximus jam tantum sese flectere debet quantum latitudo centralis confert, huic proximus dein duplo magis flectetur, huic proximus triplo et sic porro, usque dum nodus veniet, qui nodos culmosque proferendo directionem horizontalem sequi debet, talique ratione solum adtingens terra obtegitur. Hoc sub decursu in terra nunc vaginas in folia, culmumque apice in spicam floriferam non mutabit; sed stimulo terrae commotus, vaginas non multum in longum protrudens sed eas potius in fibras dissolvit, et ex quolibet nodo fibrillas radicales emittit. Tali ratione radix oritur, quae repens vocatur, quam in caricum plurimis observare licet.

Sicuti autem in puncto centrali saepius contingit, quod nodus unicus duos proferat nodos secundarios, sic quoque hic in decursu subterraneo nodus unicus saepe in duos dividitur, qui nunc aliis non impediti, nisui primario directionem verticalem assumendi obsequentes, culmos proferunt vel floriferos, vel solum foliorum fasciculos, talique pacto radix repens insuper stolonifera redditur, in carice alba, Schraeberi, intermedia, hirta etc. pulcherrime observanda.

Sed hanc ipsam radicem repentem stoloniferam nonnisi videbis in individuis adultis, bene pastis; nam si inquiris juniora unius veris vel anni; haec interdum paucos nonnisi nodos habent

professendae radici repenti insufficientes et quam in libris inventis radicem repellentem frustra quaereres, nisi in vicinia filii saepe et pater et avus sese monstrarent. —

Nodi radicales in variis caricibus praeprimis secundum variam aetatem, maiores minoresve, tenuiores crassioresve, quin imo plus minus lignosi atque indurati observantur; et quam botanici radice lignosa notant, caricem adolescentem videbis cum nodis radicalibus substantiae mollis nil lignosi monstrantis. Nodi substantiae lignosae adsunt in carice longifolia, pilulifera, gynobasi; hi nodi lignosi adeo interdum uno alteri incident, ut rhizoma horizontale forment, quod videmus in carice vulpina, nemorosa, muricata, virente, divulsa.

Culmus, ex nodis emergens, vel eorumdem propago, haud multas nobis offert varietates.

Hic etenim versus basin mox magis foliosus vaginisque vestitus, mox nudus usque ad apicem crescit mox erectus uti in c. tomentosa, mox apice magis minusve nutat ut in nutante, mox strictus et rigidus uti in stricta et crassa, mox laxus ut in brizoide, mox autem decumbens et declinatus ut in longifolia, pilulifera, gynobasi, ornithopoda etc. Quoad superficiem mox est glaber et laevis, mox scaber, striatus, sulcatus, plus minusve hirsutus uti in hirta; sectio culmi transversa plerumque est triangulum aequilaterum, ex una parte autem latera hujus trianguli per substantiam internam in arcum protruduntur, ex altera in arcum retrahuntur, quo fit ut sectio transversa prima ratione magis ad circulum sese approximet ut in c. ampullacea, filiformi, ovali, secunda ratione autem culmus magis cauli alato similis sit, quem observas in c. vulpina atque nemorosa.

Ast quae de variis foliorum varietatibus dicam, omni sensu valent de culmo, et pauca observans videbis unam formam in alteram quin imo interdum in uno culmo unam proprietatem in alteram transeuntem e. gr. culmum inferne laevem superne scabrum, inferne trigonum superne triquetrum, hirsutum infra, supra glabrum et sic por. loqu. —

Vaginae radicales, uti jam supra notavi, constant

membrana ex nodi circumferentia oriunda et culmum ad aliquam distantiam obvestiente. Variant forma atque colore. Forma varia ex earumdem structura derivanda; vaginae etenim substantia foliacea constantes, quin imo nonnisi foliorum primordia exhibentes, instructae sunt fibris parallele inter se decurrentibus, quarum interstitia plus minusve textu foliaceo replentur, et exinde quod non raro ab aetate dependet, longitudine atque fibrositate differunt et accidit quod ipse textus cellulosus inter fibras deficiat, ita ut quilibet nodus barba cingatur v. c. in carice longifolia etc. — Color vaginalium ab origine semper est albus, quem observamus in foliis luce privatis, ex uno latere hic color in flavescentem, flavellum, flavum, brunescem, bruneum, fuscum; ex altero latere in rubescentem, rubellum, rubrum, rubrofuscum transit. Vaginas albas videmus in c. alba, flavum in c. hordeiformi, fuscescem in plurimis, fuscum in hirta, rubellum in campestri, sanguineum in montana, pendula etc.

Hae vaginae radicales quo magis culmum ascendunt et culmeae vocantur eo longiores redduntur, quum pari ratione simul nodorum interstitia crescunt; quo longiores sunt eo magis luci expositae colorem plantis proprium viridem induunt et eo magis simul apice inflectuntur in laminam linearis-lanceolatam transiendo a botanicis folium nominatam. Exstat ergo series ininterupta a barba et vagina nodorum radicalium usque ad folia; quousque haec series protendatur inferius dicam.

Vaginae margine libro ad decursum culmi saepe attenuantur, pellucidae fiunt pallescentes vel in fibras dissolutae uti in c. stricta, filiformi, in quo tamen nulla constantia, nullus character, cum una forma in alteram transeat.

Vaginae longitudine crescentes interdum ad secundum et tertium nodum proximum extenduntur; ex secundo autem et tertio nodo iterum vaginae oriuntur et tali pacto vagina prima secundam, secunda tertiam et s. p. investit; et si, quod in omni carice fit, unus alterve nodus culmum non proferat, talis inscatulatio vaginae interioris cuiuslibet per exteriorem in indefinitum continuata, foliorum fasciculum format. Exinde foliationis modus in caricibus est per folia equitantia, quum folii latera pa-

rallele connivent et interiora ab exterioribus includantur. (Linné  
Ph. b. 106. n. 6.)

Numerus horum fasciculorum, a quo modus in cespitibus majoribus minoribusve crescendi dependet, penitus indefinitus est, et solum differunt carices quod una alterave in cespitibus majoribus vel minoribus provenit, ast quis primo obtutu non videret inter has duas cespitis formas limitis determinati absentiam.

Vaginae apice inflectuntur in laminam. In ipso inflexionis angulo ad latus laminae oppositum, provenit in aliquibus caricibus membranula secundaria, ligula (das Blatthäutchen) dicta; sed in illa nulla constantia, nullus modus determinatus adparandi; quod optime videre licet quas per ipsam ligulam oppositifoliā distinquare volunt auctores, in c. distante, Hornschuchiana, fulva, cum in qualibet harum, non raro in uno eodemque culmo vaginam ligulatam et non ligulatam observare potes, et in alio ligulam longam, breviorem, brevem, marginem adhuc perceptibilem ligulam indigitantem et nullam saepius vides.

Lamina vaginae prolongatione et inflexione orta est folium ipsum. Folia quoad ortum uti ex prioribus de vaginis dictis patet, fere omnes radicales i. e. ex nodis radicalibus proveniunt; pauca sunt culmea, quum culmus pauca semper internodia habeat. Si vaginam foliorum qua petiolum in membranam dilatatum considerare mavis, petiolata sunt; quoad positionem mox alterna sunt mox opposita, plus minus erecta in c. stricta, cespitosa, laxa in c. brizoide et longifolia, recurvata in c. nitida, praecoce; quoad peripheriam sunt linearia i. e. aequali latitudine utraque extremitate quidquam angustata, vel capillaria et setacea uti in Davalliana; ratione marginis sunt integerrima, qui tamen non raro plus minus scaber per minimos nempe aculeos, imo interdum uti in paniculata scaberrimus per aculeos sat conspicuos redditur; facies ipsa cum vaginis mox est glabra, mox nervosa ut in pilosa, mox tomentosa et minimis setulis adspersa ut in c. pallescente, mox pilis longis obducta ut in hirta; quoad expansionem superficie, mox sunt plana, mox canaliculata uti in stenophylla mox carinata uti in c. crassa, pendula, pseudo-

cypero carina aequali ratione cum marginibus instructa; apex foliorum semper plus minus acutus, acuminatus, mox teres mox triqueter; semper autem sunt simplicia quod facile derivabis ex eorumdem structura cum nervis parallelis, imo ut censeo frustra exspectabis, sicuti in omnibus plantis cum foliis parallele nervosis varietates cum foliis divisis compositisve, nisi illas foliorum divisorum formas cogitares, quae frequenter in Palmaeis apparent.

Hae omnes foliorum multiplices varietates quas vix adduxi, dant nobis ideam magnae eorumdem variabilitatis; et vix mihi adduces unicam formam cuius transitus in alias vicinas non facile demonstretur a natura, quin imo non adeo raro invenies caricem hirtam vaginis foliisque penitus glabris, quae tamen semper valde hirsuta notatur.

Culmus, ut supra dixi, paucos semper nodos habet, majori autem distantia sejunctos; quilibet nodus uti in radice membrana cingitur et uti a medio culmi deorsum versus membrana nodorum et ex eadem oriunda folia cum vaginis semper minuantur, imo ad infimum culmi terminum membranae minimae et nodi ipsi fibrillas radicales emittunt; ita a medio culmi sursum versus nodorum membrana imminuitur, in summo culmi termino membranae minimae sibi invicem uti in radice imbricatim incident et nodi loco fibrillarum, vel stamina vel pistilos vel autem culmos secundarios sic dictos spicarum pedunculos emittunt. Sic ergo deductio bractearum, glumarum flororumque, spicarum totiusque inflorescentiae cogitari potest ex structura culmi ejusque nodorum graminibus generatim propria et series transituum supra inducta vaginarum ad folia usque ad bracteas et glumas nunc extenditur.

Ad culmi apicem ergo et non raro plus minusve inferius spica unica vel plures apparent, spicis adstant bracteae; spicae ipsae prouti simplices vel compositae sunt iterum constant vel spicis vel floribus; flores constant gluma et staminibus vel pistillis; hic nunc primo de inflorescentia et spicis, dein de glumis et bracteis, postea de staminibus, pistillis fructibusque. —

Inflorescentia seu modus quo flores pedunculo plantae

adnectuntur in caricibus vel constat spica simplici solitaria vel spicis simplicibus pluribus vel spica composita vel panicula.

Spica est inflorescentiae modus, quo flores singuli ad decursum axeos communis in ejusdem superficie vel propriis fosiculis alternatim aggregantur, talisque vocatur sp. simplex; si loco florum iterum axes spicarum lateralium axi generali insident vocatur composita; si vero hae axes laterales longitudinis inaequalis, iterum in ramos dividuntur et hi non raro iterum in ramulos spica composita fit panicula. Spica simplex solitaria est in c. Davalliana; plures simplices in plurimis e. gr. in distante, crassa, pendula, hirta; spica composita est in stenophylla, schoenoide, Schreberi, intermedia, vulpina, muricata etc. Panicula conspicua in c. paniculata, paradoxa, divulsa.

Hae tres inflorescentiae formae una in alteram transeunt, adeo ut non raro in uno eodemque culmo in apice inveniamus spicam simplicem in medio compositam ad basin vero paniculam; imo observari potest transitus spicae simplicis in pedunculum uniflorum praecipue in c. clandestina; transitum spicae simplicis in compositam saepius vidi in c. distante, drymeja, hirta, vulpina, muricata; spicarum plurium in compositam unam in c. stricta, in simplicem unam in c. Drymeja, gynobasi, tomentosa, praecoce, virente, in quibus in uno eodemque individuo spica unica simplex in uno scapo, in altero plures simplices vel composita erant.

Distinquentur porro, et quod summi momenti habetur, spicae secundum sexus differentiam prouti in unico culmo spica simplex solitaria vel solum masculos vel solum femineos flores habet ut in c. Davalliana, spicae plures simplices prouti superior vel superiores solum masculae sunt, inferior vel inferiores solum femineae sunt uti in c. campestris, montana, pilulifera, pendula, hirta etc.; spica composita et spicae in paniculam dispositae prouti spiculae singulæ superne vel inferne flores mares vel femineos habent, ut in c. stenophylla, Schreberi, vulpina, paniculata, remota etc., vel prouti spica composita generatim in medio masculas, apice et basi spiculas femineas fert, quemadmodum in c. intermedia; quin imo tanti momenti censemur haec

differentia sexualis ut quae intercedit inter spicam compositam et plures spicas simplices distinctio, in eo solum a caricologis ponatur: ut quodsi plures spicae ad apicem culmi accumulan- tur uti in *c. stenophylla*, Schreberi, campestri, praecoce etc. has quarum quaelibet flores et mares et feminas habet, compositas illas quarum superior mas inferiores feminae sunt, non compositas sed plures simplices dicant, et tali pacto rejecto charactere a Linné posito, distinctiones compositionum spicarum non a partibus quibus compositio innititur sed a florū genere depromant.

Sed quod nec haec sexus differentia in spicis notam specifi-  
cam exhibere valeat ex eo patet, quod omnes combinationes ha-  
rum differentiarum a pedunculo unifloro ad spicam simplicem,  
spicas simplices plures, spicam compositam usque ad paniculam  
in unica caricum varietate quin imo interdum in uno eodemque  
individuo inveniantur. Quam posuerunt differentiam, si in unico  
culmo unica spica simplex dioica provenit uti in *Davalliana*, hanc  
natura non raro tollit culmis masculis unam alteramve feminam  
et exinde fructum et spicis femineis tam saepe viduatis unum  
alterumve et plures mares adjungendo. Differentia quae in spi-  
cae compositae adrogynis spiculis observatur, prouti superne  
vel inferne masculae sunt, interdum tollitur, per spiculam to-  
tam masculam totamve feminam, uti in *c. stenophylla* et reliquis  
hujus divisionis. Qui in *c. intermedia* exhibetur character: „spi-  
culis infimis terminalibusque femineis, intermediis masculis“,  
extinquitur quoque natura quae omni separationi innaturali, etsi  
perspicacissimae inimica individua hujus caricis producit, in  
quibus spiculae femineae flosculis masculis terminantur et ma-  
ribus flores feminei intermiscentur. Et quam in spicis monoicis,  
masculis et femineis vel solitariis vel pluribus ponunt de-  
stinctionem exinde non valet, cum vix sit *carex* hujus divisio-  
nis, quae unica spica mascula notata interdum non cum duabus  
et quae cum pluribus describitur cum solitaria inveniatur; et  
quam jubent cum femina una vel duabus vel pluribus crescere  
et multiplicari, huic legi haud raro se subtrahat; et ut nil reti-  
ceam saepissime vidi casum in spicis monoicis, in quibus spica

mascula fructus habuit uti in c. Hornschuchiana, praecoce, adhuc saepius in quibus femineae spicae apice mares duxere uti in c. crassa, acuta, glauca, pendula, Drymeja, panicea, pallescente, stricta, gynobasi, praecoce; et adhuc aliud exemplar quidquam rarius caricis strictae, cuius culmus apice spicam compositam gerit circiter ex duodecim spiculis quarum vix una mascula, omnes audrogynae superne et intermixte masculae sunt.

Spicae etiam quoad ambitum distinguuntur, prouti sunt ovatae uti in c. Schreberi, capitatae in c. stenophylla, clavatae in c. Michelii, cylindricae in c. cespitosa et stricta, lineares in alba, distichae in schoenoide, interruptae in c. nemorosa, virente, divulsa, foliosae in c. nemorosa, virente, basi attenuatae in c. acuta; in hoc tamen nulla constantia et certitudo, nam capitatam, ovatam, subrotundam, clavatam, cylindricam et linearem interruptam et foliosam attenuatam et non attenuatam in se invicem transire et promiscue non solum in uno individuo sed uno eodemque culmo, provenire facillime videbit naturae observator.

In inflorescentia plurium spicarum, respiciunt etiam botanici rationem positionis spicarum, prouti sibi invicem magis minusve approximatae sunt vel distant, et exinde: spicae approximatae, subapproximatae, aggregatae, glomeratae, subconfertae, confertae, congestae, in capitulum dispositae, laxae, laxiusculae, interruptae, solitariae, remotae, distantes dispergiuntur. Spicae praeterea distinguuntur, prouti immediate culmo insident vel per pedunculos annectuntur et exinde: sessiles subsessiles, vix pedunculatae, subpedunculatae, incluse pedunculatae, breviter pedunculatae, exserte pedunculatae, pedunculatae, longe pedunculatae, nutantes, pendulae. — Superficies pedunculorum porro differt, prouti est glabra et laevis ut in multis, vel scabra ut in acuta et aliis, tomento vel pilis obsessa ut in pilosa. — Quid de approximatione et distantia spicarum, quid de spica pedunculata et non pedunculata, longe et breviter pedunculata et inde pendente ratione nutante et pendula censendum, luce clarius patebit observanti omnes has rationes in uno individuo promiscue combinatas; nam quas notant cum

spicis confertis cum distantibus et inversa ratione, et quas cum spicis sessilibus vel subpedunculatis vel breviter pedunculatis describunt libri longo saepe ex filo pendentes natura tibi monstrabit, et quem de c. gynobasi adducunt characterem ex spica feminea infima e radice vel culmi basi veniente depromptum ipse vidi in c. nemorosa, campestri, nitida, praecoce, tomentosa, flava, Oederi, longifolia, panicea, Drymeja, glauca. — Quae de foliorum superficie adduxi, valent quoque de pedunculorum superficie.

Membranae nodorum in summo culmi apice sibi invicem in-cumbentes spicasque formantes ut supra dixi, glumae atque bracteae vocantur. Casus simplicissimus est ille caricis Davallianae: culmus basi nodis excrescens eorumque vaginis foliaceis ad dimidium vestitus sine nodis usque ad apicem pergit, et ibidem in longitudine pollicis dimidii aut integri numerosa sibi invicem proxima, membranula cincta internodia format; haec membranula ex quolibet nodo oriunda, ob parvam horum distantiam ultra proximum nodulum pergit, et ex hoc ortam pro parte tegit, ex hoc nata iterum proximam et sic porro. Quaelibet membranula includit inter culmum et se ipsammet stamina vel pistillos; omnes uno eodemque modo constructae sunt excepta infima, quae quidquam longior latiorque nec stamina continet neque pistillos et bracteae vices gerit; nam bractea vocatur folium plus minus modiscatum flori adstans.

In illis inflorescentiae formis, in quibus plures spicae ad-parent, ex infima, vel duabus tribus, quatuorve infimis nodorum squamis staminum loco atque pistillorum axis lateralis ori-tur, et inde natae spicae eadem ratione se habent uti vix prius de simplice dixi.

Haec nunc infimae squamae naturam foliaceam induentes bracteae verae dicuntur, et facillime componenda est series a bractea, a foliis non distinquenda usque ad bracteam glumae homogeneam et quidem bracteas considerando a carice pseudo-cy- pero, crassa, paludosa, acuta, pendula, vesicaria, ampullacea, nutante, remota, hordeiformi, hirta, filiformi, drymeja, glau-ca, pallescente, stricta, cespitosa, fulva, distante, nitida,

*Hornschlorhiana*, *flava*, *Oederi*, *pilosa*, *tomentosa*, *panicea*, *virente*, *nemorosa*, *longifolia*, *campestri*, *praecoce*, *pilulifera*, *Michelii*, *alba*, *ornithopoda*, *digitata*, *intermedia*, *divulsa*, *clandestina*, *schoenoide*, *vulpina*, *stenophylla*, *Schreberi*, *gynobasi*, *brizoide*, *ovali*, *montana*, *muricata*, *divulsa*, *paniculata* usque ad c. *Davallianam* eundo.

Hujus seriei membra pro varietate quoque commutari possunt; cum bractearum ratio in variis individuis variet et quam nunc invenis caricem bracteis aliquarum linearum longis, post aliquot passus in alio prato cum unius pollicis et longioribus videbis, et transitum bracteae majoris in minores in uno culmo eo facilius quo plures spicas solitarias gerit.

Eadem ratione qua bracteae magnitudine imminuuntur, eo magis natura earundem mutatur; incipiunt primo marginem membranaceum induere qui semper relativa extensione augetur, tandem versus medianam partem brunescit in dorso lineam viridem semper relinquendo, quae apice non raro in foliolum minimum propagatur ut in c. *virente*, *nemorosa*, dein et haecce disparet et bractea glumacea ut supra jam dixi a gluma solo defectu genitalium distinqui adhuc potest. — *Glumae ipsae varia ratione distinquuntur*, secundum earum figuram, colorem et magnitudinem relativam ad fructus.

Figura glumarum plerumque ovata botanicorum est, quae tamen uno latere in oblongam, lanceolatam, linealem usque ad setaceam caricis pseudo-cyperi, ex altera parte in subrotundam fere usque ad rotundam transit; sed inveniuntur plures formae varietates in uno individuo, uno culmo, unaque interdum spica et glumae quae in spicae basi ovatae, obtusae sunt apice attenuantur atque lanceolatae, acutae fiunt. Distinguunt praeterea apicem glumae prouti magis minusve sensim sensimque vel cito in mucronem attenuatur; haec tamen variatio a glumae linea supratenata dorsali dependet a botanicis nervus dicta, quae variae rigiditatis, longitudinis et extensionis est, nulla in c. *cespitosa* ubi glumae obtusae, conspicua in c. *muricata*, sat longa in c. *Michelii*, rigida et pungens in pseudo-cyero. — Distinguunt etiam marginem glumae prouti integer est vel scariosus et lace-

ratus; hoc tamen ab aetatis periodo dependet, in juventute nunquam, in senectute saepissime adest.

Color glumarum magni censemur, qui varius in margine, toto dorso, et linea dorsi mediana est. Sub colore glumae sine adjecione semper tamen illum intelligunt dorsi. Hic est uti in vaginis, cum glumae ipsae vaginae sint, ab origine albus argenteo nitens; sed tamen pro varietate atque aetate pro loco crescendi humido siccoque, luci exposito umbroso transit ex albo in viridescensem, viridem, flavoviridem, flavum, badium, spadiceum, bruneum, fuscum, fuscorubrum, purpureum, purpureo-nigrum usque in nigrum; hocce facillime observandum in quacumque carice proxime obvia, optime tamen in *c. glauca*, *hirta* etc., quarum glumae juvenes alboargenteae, senescentes bruneofuscae et in *c. muricata*, *virente*, *divulsa*, quarum plura prae-primis aetate diversa individua inter se comparata, hanc de qua loquor colorum seriem clara luce demonstrant.

Color glumarum marginem versus semper plus minus palescit vel potius dicendo, pro varietate colorem primarium albo-nitentem plus minusve retinet, et exinde videmus quid cogitandum, si florentem *c. praecocem* atque nitidam nonnisi hac variabili nota distinguere possumus; quid inde cendum, si in una spica glumas inferiores margine lato invenimus, qui semper minuitur in spica altius ascendendo usque dum disparet uti in pluribus videre licet. Quid de nervo dorsali ejusque latitudine cendum ex prius adlatis jam patet. Distinctio ex magnitudine relativa glumarum ad fructus de prompta nullius momenti est; nam dependet ex una parte ab aetate, ex altera saepe in una eademque spica secundum omnes varietates observatur.

Quaelibet gluma includit stamina vel pistillum cum fructu, illisque praesentibus hic excluditur, ita ut flores semper monoici sint, nunquam hermaphroditi; neque botanicis, qui tanto ardore et diligentia stamina numerant, quantum ex illarum libris mihi innotuit, neque mihi, illorum quidem diligentia et perspicacitate minime instructo, saltem cum oculis sanis et rei quadam diffidentia carices inquirenti, unicus casus occurrebat cum flore hermaphrodito.

Stamina semper sunt tria antheris primum erectis dein pendentibus, nec aliquas vidi illorum varietates notatu dignas.

Stigmata in quae pistillum dividitur, numero suo semper inquirenda sunt oculo curiosissimo; non ut caricum varietates sed species, quin imo ut ipsa genera ad quae pertinent, et in quae a nonnullis disjiciuntur, distinguere valeas. — Invenis e. gr. caricem stigmatibus duobus; erit dein Vinea; invenis alteram stigmatibus tribus; haec erit vera Carex! invenis tertiam stigmatibus hinc inde tribus hinc inde duobus. Cuinam, quaeso, haecce attinet speciei vel generi carex? frustra rogabis librum, frustra rogabis botanicos, qui hoc pro lusu naturae vel morbo declarant, quocum scientia nil habet. — Quid ego exinde cogitare audeam in decursu dissertatiunculae saepius protuli et proferam inferius, eo magis cum in eodem casu jam haesi, quem, in dumetorum umbrosis prope Dornbach frequenter crescens, c. pilosa stigmatibus suis tribus saepeque duobus in determinatione generis vel speciei anicipitem reliquit. Quod hic adduco factum, observavit quoque celeberrimus agrostographus et archiater Host. (IL Pg. 598. 66.)

Pistillum ex angulo, quem gluma cum culmo, hic rachis dicto, facit, emergit et ad longitudinem lineae vel paulo plus minusve integrum indivisum apice bis terve in stigmata duo triave dehiscit. Inferius ad basin temporis decursu in germen (nuculam) intumescit, et totum, quantum indivisum est, membrana undique clausa nonnisi ipsius exitui foramen aperiente, obtegitur. Ipsa membrana capsula, tota pistilli vero inferior pars cum germine et capsula post florem increscendo evoluta fructus vocatur. Quilibet caricum fructus constat ergo capsula membranacea, et nucula.

Nucula ab initio pistilli propago sicuti hoc cylindrica est. Vix autem peracto flore, marcescente pistillo, intumescit, et prouti hoc in duo triave stigmata divisum, lineae duae tresve in illa elevantur. Nucula sensim maturescens in medio volumine aucta sectionem transversam exhibit vel triangularem vel bilateralem. Latera harum sectionum transversarum mox lineae sunt magis rectae vel magis arcuatae, ita ut triangulum saepe

circulo, bilateralis sectio saepe ellipsi accedat. Tali pacto conclusio quoque valet, a sectione transversa nuculae ad stigmatum numerum et inverse; sed observavi in c. acuta, stricta, cespitosa, quarum nuculae sectionem bilateralem exhibere deberent, (nam duobus notantur stigmatibus), interdum nisum in formam trigonam, quum non raro in uno altero latere angulum parvum tertium protrudunt; ex altera parte in c. glauca, tribus instructa stigmatibus, cuius fructus primo aspectu habitum duorum stigmatum monstrant, sectionis transversae triangularis angulum tertium adeo obtusum et evanescentem, ut nuculam pro bilaterali fere habuerim. Capsulae nuculas includentes distinquentur secundum ambitum et conformatiōnēm, superficiem atque colorem. Figura et ambitus capsularum immediate dependent a nucula et cum hac ipsa aequali ratione mutantur; inferne angustantur ut rachi insideant, superne attenuantur rostellum plus minus conspicuum et variae longitudinis formantes. Rostelli apex apertus ut pistillum transmittat, mox est obtusus, mox bilabiatus, et labia iterum plus minus acuta esse possunt.

Quid de rostello valeat exinde patet, quod ex fructu obtuso usque ad acutissimum c. pseudo-cyperi varietates intermediae facile inveniuntur, idem valet de ore obtuso, pertuso et bilabiato. Superficies capsularum vel est glabra uti in c. nitida, vel tuberculis obsessa et scabra uti in c. glauca, vel pilis tecta atque tomento ut in c. praecoce etc.; sed conspexi plures caricum capsulas, praeprimis illas c. gynobaseos, quae apice plus minus tomentosae reliqua parte glabrae sunt: talique ratione capsulae glabrae cum tomentosis per transitus conjunguntur.

Color capsularum eadem observanti exhibit, ac color glutinarum, cuius optimum iterum exemplum et simul vulgare exhibet c. glauca, in cuius fructibus transitus unius coloris in quemlibet alium caricum fructuum observare licet. Apparent capsulae nonnullarum caricum interdum nigri coloris nigroque tomento tectae, quod derivandum ab uredine quadam superficiem ejusdem obtegente; hoc vidi in c. alba, tomentosa, panicula, praecoce, nitida, longifolia, filiformi et extra fines territorii nostri in frigida atque limosa.

Tandem adnotant, an capsulae nuculae superficiem undique attingant, quod in plurimis est, vel prouti spatium vacuum inter utramque remaneat, quod in c. crassa, vesicaria, ampullacea etc. frequenter provenit, sed ambae hae distinctiones rarius quidem sed tamen in omnibus intermixte occurunt.

Ad finem adhuc adducam, capsulas caricum magnam mihi videri habere analogiam cum glumis internis graminum reliquorum, praeprimis illorum, in quibus valvulae corollae cum germine concrescent et indurantur. Hoc suasit c. muricatae exemplar cuius capsulae ad tres, quatuorve lineas longae, substantiae tenuissimae, apice ad lineae longitudinem in duas glumas quasi valvulas corollae fissae erant. —

Post tot tantaque verba quilibet lectorum, omni jure inquiet in me, quid ego censem de caricibus territorii nostri, quarum omnium omnes fere proprietates inconstantes, et in homonymis si non identitatem saltem ubique transitum adesse immediatum, demonstrare adnisus fui? quasnam hucusque assumptarum specierum bonas verasque quasve nullas declarem? et quasve tandem ego meis cum verbis creberrimis statuam species? Huic modeste respondebo: me quidem longe abesse ab illo insolentiae crimine, quodcumque hucusque statutum, et a viris ingenio claris in re herbaria inventum, scriptum atque depictum fuit, cum singulari petulantia nauci faciendi aliamque opinionem statuendi solum ut novi quidquam proferatur; sed potius me illos sequi, qui omne bonum verumque adorant, nihilominus tamen casta mente observata et strenue deducta publice proferunt.

Haec autem in eo versantur: mihi persuasum esse omnes territorii nostri carices unius ejusdemque speciei physiographicae esse; ipsam opinionem experiens jam adlatis, et principiis methodi physiographicae nunc adducendis confirmando.

Methodus physiographica, historiae naturali propria est, et quae de hac dicuntur valent quoque in phytologia, qua parte ejusdem et consequenter et de caricibus.

Haec autem methodus statuit speciem esse conceptum systematicum individuorum physiographice homogeneorum.

Individua physiographice identica sunt quae in omnibus proprietatibus physiographicis perfecte collimant. De his, si quae dantur in rerum natura, nunquam dubium restabit.

Individua physiographice homogenea (gleichartige) autem vocantur ista non identica, quorum proprietates homonymae, quibus a se invicem differunt, per seriem ininterruptam transitum conjunguntur, talique modo illorum differentia, relata ad conceptum superiorem seriei relativae suffertur atque disparet.

Hae autem series ininterruptae transitum oriuntur, sumendo duas varietates jam notas proprietatis physiographicae cujusdam et inquirendo in reliquis in natura prostantibus membris tertium inter haec duo intermedium iisque interponendum, et hancce inquisitionem eo usque continuando quamdiu varietates naturae productorum hoc ipsum permittunt; tali ratione videmus quod unum seriei membrum alteri semper magis approximet et in alterum quasi transeat vel quod quaelibet determinata cujusdam proprietatis varietas intermedia sit inter duas alias et quod hoc ipsum in indeterminatum continuari possit inter certos limites a natura ipsa latos et per experientiam datos. Has autem series ininterruptas in proprietatibus caricum territorii nostri prostare in decursu dissertationis monstrare adnisus sum. Solum recorderis, si placet, quae dixi de radice, de vaginis, foliis atque bracteis, glumis, inflorescentia, de stigmatibus fructibusque, talesque series ininterruptas naturae tibi monstrabit, preprimis per illas saepe adductas; exceptiones regularum de caricibus statutarum, quae plerumque lusus vel aberrationes naturae vel formae inconsuetae nullius in botanica valoris nominantur. Hae autem demonstrant naturae varietates inconsuetas non exceptiones regularum sed potius regulas istas botanicorum exceptiones naturae esse: nulla etenim regula exceptionem permittit, nam thesis: „nulla regula sine exceptione,“ ex eo in absurdum ducitur, quia ipsa haec regula est, quae etiam exceptioni subjiceretur, et hujus regulae exceptio esset, quod omnis regula nullam exceptionem habeat. Et insuper natura ubique secundum aeternas leges aequali ratione agens, si corpora coelestia movet et si caricem

inhonoratam producit, eo minus ob regulas de caricibus statutas exceptione se corrumpet.

Varietates quidquam insolitas ex eo credo tam saepe in botanica non debite aestimari sed potius sperni, quia haec egrediens e principio, a natura species produci, nonnisi individua physiographice identica in speciem unam conjungit. Cum autem vix dentur duo individua vere identica, saltem conjungit nonnisi ea non identica quorum proprietates quibus differunt, in serie physiographica sibi proxime adstant, illa autem, quorum proprietates, quibus differunt, in serie magis a se invicem distant et quorum membra intermedia non statim in eodem terrae angulo crescent, pro differentibus speciebus declarat, easque cum infallibili certitudine defendit, si in hortum translata varietas post unum alterumve annum eadem manet.

Ego autem censeo, naturam minime species, quae jam conceptus plurium individuorum sunt reflexione nostra producti, sed solum entia singula, individua, non speciem hominis sed homines singulos producere: natura etenim non cogitat, sed solum entia secundum leges ab aeternitate latae non autem reflexione producit; nostram vero mentem tali ratione construxit, ut principia identitatis, homogeneitatis atque similitudinis innata habeamus, sua producta vero ut haec principia in ipsa applicari possint: hinc nostrum est naturae productorum conspectum atque dispositionem, cui natura vel potius quae naturae correspondet, moliri methodo rationi conveniente; alias conspectus nullus oritur vel qui oritur naturae non est congruus.

Insuper botanicorum quilibet tacite concedit atque agnoscit series physiographicas ipsas, quarum ope individua non identica, quorum tamen proprietates, quibus differunt, membra illarum sunt, in homogeneitatis conceptum et unam speciem rediguntur; alias caricem ex. gr. nitidam nunc cum tribus nunc cum quatuor spicis, vel tulipam nunc flore albo, flavo, rubro, vel Capsellam Bursam pastoris nunc foliis dentatis nunc sinuatissimam pinnatis vel bipinnatis in duas, tres, quatuorve species dividere deberent: ast cum hoc ipsum nullus faciat, nec fieri minime concedat, priori adnuit. Sed cum nihilominus de

speciebus semper contendant botanici, nihilominus quilibet in hoc, alter in alio libro species, ut dicunt transeuntes inveniat, et hoc ipsum si species verae transitus non veros, vel si transitus veri species non veras esse demonstret; prae reliquis exceptandum erit, ut, quem tacite et effectu jam concedunt serierum physiographicarum valorem, pleno verbi sensu eo citius quantum possunt consequenti modo in omnia regni plantarum producta extendant, ne certamine hoc scientia periclitetur.

Exinde vero nondum affirmandum esse volo, ut recentiorum nonnulli naturam male inquirentes somniabant, quin imo penitus contrarius essem opinioni, existere transitum omnium individuorum naturae productorum quasi evolutione et revolutione ascendendo et descendendo et ex carice triticum, ex orchide palmam per transitus fieri posse; haec esset via directissima ad scientiae interitum ducens.

Ut bene intelligar adhuc non superfluum erit, quae supra obiter adduxi principia methodi physiographicae latius exposita repetere, praecipue illa quae in capite de systematica docet.

Naturae producta, quae in omni proprietatum physiographicarum convenient, identica sunt. Hocce principium immediate verum, systematics basis, alterum immediate in se recondit, quod sonat: Individua quae non in omni proprietatum physiographicarum convenient non sunt identica.

Sed differentia individuorum physiographice non identicorum non semper est ejusdem gradus. Sumas c. Davalliana duo individua, unum spicis solum dioicis aliud spicis androgynis in requis proprietatibus perfecte identica. Quilibet sentiet haec duo individua, non identica esse. Sumas unum horum individuorum et loco alterius Scirpum ex. gr. maritimum. Et haec duo non identica sunt, sed tamen facile erit distinctu, differentiae gradum in hoc posteriore casu majorem essem, quam in primo, imo si scirpum ovatum vel palustrem sumeres.

Ast gradum differentiae non licet secundum numerum neque modum proprietatum, quibus individua differunt aestimare; sed haec aestimatio egreditur e quibusdam aliis rationibus eamdem erga se invicem. Carex Davalliana a Scirpo ovato, quo-

cum excepta florum ratione et hiscum immediate conjunctis proprietatibus fere in omnibus convenit, multo magis differt quam eadem carex a c. acuta, a qua excepta florum ratione in omni proprietate differt.

Hinc inquirendum erit, an non aliqua individuorum non identicorum per rationes determinatas proprietatum, quibus differunt, ita se habeant, ut earumdem differentiae, membra sierum transituum sint, quibus subjungi, in relatione ad has earumdem differentiae tolli i. e. homogena fieri possint. Homogeneitas etenim in nullo alio constat quam in hac ipsa determinata mutua ratione proprietatum individuorum physiographice non identicorum.

Hoc optime fit per individua, quae in una proprietatum physiographicarum tali ratione differunt ut hae differentiae membra seriei transituum sint, et in reliquis proprietatibus perfecte convenient; talia etenim individua homogeneitatis conceptui revera subjungi possunt.

Hoc demonstratur per individua, quae ejusdem proprietatis plures varietates vel ut melius dicam quae conjunctionem vel combinationem plurium varietatum ejusdem proprietatis continent ex. gr. sumas individuum caricis divulsae, quod plures formas compositionis spicarum simul continet, ut: spicam simplicem, spicam compositam ex spiculis simplicibus, et spicam compositam ex spiculis compositis, quas non adeo raro invenies plura individua perlustrans.

Si nunc ex tali inflorescentiae varietatum conjunctione, unicam varietatem evanescere singamus orietur idea aliis individui excepta inflorescentiae varietate in omnibus cum priori convenientis, ast hocce individuum tamen adhuc idem prius est i. e. istud substratum certi complexus plurium proprietatum physiographicarum, et si cogitamus hocce individuum in his duabus inflorescentiae formis qua duo individua, haec ipsa homogena sunt, quum ex unius idea quasi exeundo ad illam alterius progressiamur, et ducti in hac via a proprietatis physiographicae serie transituum unam ideam ex altera quasi producamus.

Sumamus aliud exemplum caricis Davalliana. Sumas duo

individua excepto spicarum genere congrua, unum spicis masculis, unum spicis femineis. Invenies tertium spicis androgynis, hocce continebit priora duo individua eadem ratione, qua earum spicarum genera in se recondit. Nam cogites tibi (et natura gradatim in hac cogitatione te ducet suis productis) in tertio individuo flores femineos semper uno unoque numero diminutos usque penitus feminei disparent et habebis spicam masculam, et inversa ratione idem cogitando cum floribus masculis (et natura quae in horum florum numero certam rationem non sequitur, iterum te ducet) habebis spicam femineam. Tali ratione ergo conjunxit natura ipsa in individuo tertio, spicarum generis combinationem continentem, duo genera et exinde prima duo individua assumta alias nullomodo unienda ad unum individuum, ex quo sequitur homogenea esse et uni eidemque speciei adtinere, et tali ratione natura ipsa historiae naturali viam monstravit, qua homogeneitas individuorum invenienda.

Naturam vero inquirentes persuademur proprietates individuorum homogeneorum raro tali ratione conjunctas esse, ut excepta una omnes congruae sint. Conjunctionum proprietatum varietates interdum tales sunt, ut duo individua in una solum imo in nulla colliment et tamen fieri potest ut talia individua homogeneitatis principio subjungi debeant, cum hoc ipsum possint.— Hoc nonnisi possibile est conjunctione serierum transitum.

E praegressis quidem patet individua, non identica quorum differentiae membra unius seriei sunt, homogenea esse; quod autem et talia, quorum differentiae variis seriebus adtinent, homogenea esse possint, ex sequentibus patebit.

In hunc finem sumamus duas individuorum series, quarum, quae ad primam pertinent, sub perfecta reliquarum proprietatum congruentia, differentia solum in inflorescentiae forma, illarum autem, quae ad secundam pertinent, iterum sub perfecta reliquarum proprietatum congruentia, differentiae in glumarum colore positae sunt.

Individua prioris seriei ergo quoad colorem glumarum, secundae seriei quoad formam inflorescentiae perfecte convenient. Si nunc sub perfecta congruentia reliquarum proprietatum color

communis individuorum primae seriei, membrum seriei coloris glumarum secundae seriei, et inflorescentiae forma individuis secundae seriei communis, membrum seriei formarum inflorescentiae primae seriei est; tunc hae duae individuorum series in tali ratione versantur, quae conditio homogeneitatis individuorum utriusque seriei est: nam individuum cogitare possumus, quod quoque natura, eamdem inquirere noscenti, monstrabit, cujus inflorescentiae forma sub perfecta congruentia reliquarum proprietatum cum individuis prioris seriei, membrum seriei formarum inflorescentiae hujus et simul forma communis individuorum secundae seriei est; et cujus color glumarum iterum sub perfecta reliquarum proprietatum congruentia cum individuis secundae seriei coloris glumarum hujus et simul color communis glumarum primae seriei est. Quum autem ex subposito proprietates individuorum utriusque seriei, inflorescentiae forma et glumarum colore excepto, perfecte identicae sint: exinde assumptum individuum, his duabus seriebus intermedium, ob certam ejusdem proprietatum conjunctionem cum membris primae et secundae seriei homogeneum est, (nam ejusdem inflorescentiae forma est membrum seriei formarum primae, et ejusdem color glumarum est membrum seriei colorum secundae); ex quo immediate conclusio fit: omnia individua utriusque seriei inter se homogena esse.

Hujus exemplum splendidissimum dant nobis carex muricata, virens, divulsa; et aequali ratione quae de inflorescentiae formis et glumarum coloribus valent, valent quoque de reliquis proprietatibus uti de radice, vaginis, foliis, bracteis, fructibusque; et exinde concludendum, individua in duabus tribus imo in quocumque proprietatum numero differentes, sub certis ad ductis circumstantiis homogena fieri posse.

Et quae de caricibus territorii nostri non elucescerent, clariora et evidenter fieri possent, observando, comparando et conjungendo omnes quae hucusque innotuerunt caricum varietates, quum aliquoties observandi occasionem habui, varium terrae solum memorabiles carices producere, denique diligenter transplantando, colendo quaecunque prostant, carices, earumque hy-

briditates et formas intermedias, quousque natura hoc permittat (et revera hoc non nisi intra fines speciei licebit) producendo; et dein suscepta caricum monographia et consequenti modo secundum principia methodus physiographicae evoluta, sicuti cuiuslibet alius speciei monographia, incremento scientiae magnum adderet adjumentum: ego fini his verbis praeposito proximus ero, si attentum reddidi lectorum unum, in paeclara methodi physiographicae principia, in quacumque scientia physiographica applicanda.

Quodsi ad unam speciem, de quibus loquor carices pertinent, per se patet ad duo genera nullo modo pertinere vel in duo genera dividi posse; cum generis formatio, constructas jam species supponit, et sub unius speciei conceptu aggregatae in duo genera dehiscere non amplius possunt; eo minus quum ratio carices in duo genera separandi duobus tribusve stigmatibus innixa, mera divisio arbitraria, omni scientiae aliena et inimica sit, cumque praeter ea, quae supra adduxi exempla transitus hujus notae genericae, methodus physiographicica insuper doceat, genera non formari divisione arbitraria, nam nulla unitatum systematicarum inter quas genus, ordo, classis pertinent divisione oritur vel divisionem permittit, et ipsae unacum scientia divisione perderentur, et uti Linneus jam dixit: *Scias Characterem non constituere genus, sed genus Characterem; Characterem fluere e Genere non Genus e Charactere; Characterem non esse, ut Genus fiat, sed ut Genus noscatur;* (Phl. bot. §. 169) sic quoque jubet methodus physiographicica, speciebus jam formatis et ipsa hac formatione principiis identitatis et homogeneitatis quousque possunt adplicatis, nullum aliud principium adplicationi restare, quam istud similitudinis; nam nullum aliud, praeter haec tria adducta, continet methodus physiographicica quae innititur conceptui historiae naturalis ipsius; haec autem est scientia, quae naturae producta secundum eorum identitatem, homogeneitatem atque similitudinem comparat, ratione earum proprietatum, quibus notantur in statu originario immutatoque et hanc comparisonem adplicat ad formandas exinde ideas atque conceptus, qui-

bus consequenti modo, objecta ordinentur, denominentur, distinquantur eorumque notio et absque ipsorum praesentia immediata producatur i. e. describantur.

Historia naturalis autem adplicationem principii similitudinis sine conditione jubet, quum ipsa applicatio possibilis sit, nam dantur species quae hoc permittunt i. e. dantur gramina, liliaceae, papilonaceae, compositeae, et jubet ejus adplicationem eo magis cum nulla divisio imo secundum proprietates ut dicunt maxime genericas atque summi momenti suscepta similitudini atque naturae et similitudo atque natura nulli divisioni etsi sagacissimae, etsi subtilissime microscopicae respondeat, talique pacto omnis historiae naturalis finis, naturae nempe clara dispositio perderetur, quod optimum de quo loquimur casus demonstrat, nam nullus sanae mentis caricem acutam et paludosam et crassam (sine ratione earumdem homogeneitatis) simillimas esse negaret et tamen in libris in duobus differentibus generibus ponuntur.

Haec sunt quae de caricibus territorii nostri disserere volui, tu benevole lector! indulgentia notus judicabis quid humeri valent, quid ferre recusent; ast si perlegenti tibi, quae dixi quaeque adduxi, non statim sufficerent, de re mihi sat clara persuaderi (nam res semper non facilis est, persuasionem subjectivam in objectivam mutare) ne statim desperes de opinione mea, quaequo, sed fors ipse adibis naturam statutum in finem, meaque observata vera fors dein quoque nova et melius confirmantia ibi videbis; ast si non consentis cum illis, quae methodus physiographica praescribit, principiis, nil suadeboo quam ut, quae non nisi generatim, fors saepe obscure adduxi (nam vires exiguae, linqua vernaculae solum adsueta et fines dissertationculae plus non permittunt) optime et ad perfectam evidentiam exposita legas atque studeas in operibus clarissimi atque ingenuosissimi D. D. Professoris Mohs, aureamque catenam fantis paelectiones aideas ut physiosophiae venerationem, ipsi aeternas gratias agas! —

Ad finem nunc exhibere liceat clavem analyticam, cujus ope nomina specierum inveniri possunt, in quas botanici carices no-

strates dividunt, ne quid scientifici illi inesse censeas, quin imo scientiae aliena ibi proprie incipit ubi haec desinit i. e. intra fines speciei ad detegendas varietates, et sicuti ibi, si duas varietates statuis determinatas, tertiam saepe invenis iisdem intermedium; sic quoque hic non semper sperare potes, quamcumlibet obviam caricis varietatem secundum ejusdem nomen certe determinabilem esse, cum quae adducuntur ad distinctiones notae, quod sat demonstrasse censeo, non semper constantes sint, et insuper quum divisiones non semper secundum singulam proprietatem (quod saltem logica jubet) cum consequentia institutae fuere, hinc saepius fieri potest, individuum quoddam obvium caricibus quidem sed nullae divisioni assumtae i. e. speciei botanicorum adtinere. — Exhibeo insuper loca natalia, ubi scivi, semper urbi nostrae proxima, citando simul icones e graminibus celeberrimi defuncti archiatri N. Th. Host, quae cujuslibet usui in universitatis nostrae bibliotheca prostant. —

---

# Clavis ad invenienda nomina

## Caricum territorii vindobonensis:

1. Spica unica, simplex, dioica. . . . . Davalliana.
- Spicae plures, vel ex spiculis composita spica generalis 2.
2. Stigmata duo vel nucula bilateralis 3.
- ” ” tria ” ” ” trilateralis globosave 19.
3. Spica composita e spiculis androgynis 4.
- Spicae plures simplices, sexu differentes 17.
4. Spica generalis format capitulum plus minus oblongum 5.
- Spica generalis aliter conformata 6.
5. Radix repens culmo non crassior. . . . . stenophylla.
- ” ” culmo aliquoties crassior. . . . . schoenoides.
6. Spicularum quaelibet androgyna 7.
- Spiculae sexu distinctae, superiores et inferiores feminineae intermediis masculis. . . . . intermedia.
7. Glumae inferiores spicularum feminineae 8.
- masculae 14.
8. Capsulae tandem stellatim divergentes 9.
- ” ” semper plus minus erectae, hinc spiculis nunquam stellatis 13.
9. Culmus trigonus, lateribus planis 11.
- ” ” triquier, canaliculatis 10
10. Spicae ininterruptae, bracteae breves . . . . . vulpina.
- Spicae interruptae, bracteis longis setaceis . . . . . nemorosa.
11. Spicae ininterruptae, semel compositae . . . . . muricata.
- ” ” interruptae 12.
12. Spica semel composita, bracteis longis setaceis . . . . . virens.
- Spica inferne supradecomposita, glumae albonitentes . . . . . divulsa.
13. Spicae in paniculam dispositae, paniculae rami elongati, capsulis glabris . . . . . paniculata.
- Spica generalis cum uno altero rame longiore, capsulis striatis . . . . . paradoxa.
14. Bracteae longae, foliaceae . . . . . remota.
- ” ” breves glumaeformes 15.
15. Spiculae flavescentes . . . . . brizoides.
- ” ” brunescentes 16.
16. Spiculae lanceolatae, acutae . . . . . Schreberi.
- ovatae obtusae . . . . . ovalis.
17. Spica feminea infima pedunculata, attenuata . . . . . acuta.
- ” ” non pedunculata neque attenuata 18.
18. Planta magnis in cespitibus proveniens, vaginis radicibus reticulatim in fibras dissolutis . . . . . stricta.
- Planta vix cespitosa, sine vaginis fibrosis . . . . . cespitosa.
19. Capsulae glabrae 20.
- ” ” tomentosae 40.
20. Spica mascula unica vel bina inferiore minore 21.
- Spicis masculis pluribus 39.

21. Capsulae ore obtusae 22.  
     " bidentatae vel rostratae 24  
 22. Foliorum vaginis pilosis . . . . . pallescens.  
 23. Bracteae vaginantes, capsulae ovatae . . . . . panicea.  
     " non vaginantes, capsulae compressae tan-  
     dem nigrae . . . . . glauca.  
 24. Folia et pedunculi pilosi . . . . . pilosa.  
     " glabri 25.  
 25. Spicae erectae, sessiles vel breviter pedunculatae,  
     nunquam pendulæ 26.  
     Spicae sub fructu pendulæ 37.  
 26. Capsulae adeo divergentes ut inferiores spicarum  
     deorsum spectent 27.  
     Capsulae non adeo divergentes 28.  
 27. Capsularum rostra curvata . . . . . flava.  
     recta . . . . . Oederi.  
 28. Spicae "feminæ" omnes sessiles 29.  
     Saltem infima pedunculata 30.  
 29. Spicae feminæ mari adpressæ . . . . . campestris.  
     distantes . . . . . nutans.  
 30. Spica femina infima nunquam adeo distans ut reli-  
     quas adtingere non possit 31.  
     valde distans 33.  
 31. Glumæ bruneæ " . . . . . nitida.  
     " flavo-pallescentes 32.  
 32. Spica mascula clavata . . . . . Michelii.  
     " linalis tenuissima . . . . . alba.  
 33. Spica femina infima e radice veniens . . . . . gynobasis.  
     " non e radice 34.  
 34. Plumis "flavo" " pallidis, capsulis margine membra-  
     naceis aculeatis . . . . . hordeiformis.  
     fuscis, capsulis aliter constructis 35.  
 35. Radice repente . . . . . Hornschuchiana.  
     fibrosa 36.  
 36. Cespitibus, foliisque parvis . . . . . distans.  
     " magnis, foliis ad duas lineas latis . . . . . fulva.  
 37. Glumis setaceis, capsulis pungentibus . . . . . pseudo-cyperus.  
     membranaceis 38.  
 38. Vaginae radicales sanguineæ . . . . . pendula.  
     " fuscae . . . . . Drymeja.  
 39. Culmo obtusangulo . . . . . ampullacea.  
     " acutangulo 40.  
 40. Spicae mares lineales, tenues, pallide ferruginæ  
     " lanceolatae crassæ, bruneæ 41.  
 41. Capsulae inflatae, in rostrum bidentatum attenuatae  
     " non inflatae, non rostratae . . . . . vesicaria.  
 42. Spica femina superior, praecipue sub fructu supra  
     marem elongatur 43.  
     Spica mascula semper superior 44.  
 43. Spicae feminineae inferiores distantes . . . . . digitata.  
     " omnes confertæ, fasciculatae . . . . . ornithopoda.  
 44. Spicae feminineæ 2 — 4 floræ vaginis membranaceis  
     inclusæ . . . . . clandestina.  
     Spicae feminineæ multifloræ exsertæ 45.

45. Capsulae obtusae 46.			
"	rostratae bidentatae 49.		
46. Radix stolonifera 47.			
"	fibrosa lignosa 48.		
47. Vaginae radicales sanguineac . . . . .		tomentosa.	
"	non sanguineae . . . . .	praecox.	
48. Vaginae radicales sanguineae . . . . .		montana.	
"	" non sanguineae . . . . .	pilulifera.	
49. Spicae ad culmi finem approximatae . . . . .		longifolia.	
"	distantes 50.		
50. Tota planta hirta , culmus acutangulus . . . . .		hirta.	
"	glabra , culmus obtusangulus . . . . .	filiformis.	

---

## Loca natalia caricum.

Carex:

1. *acuta* L. (Host. I. 95.) in humidis ad aquarum marginis. Im Prater am Donauarme gegen den Feuerwerksplatz. Ap. May.
2. *alba*, Haenke (I. 59) in sylvis montanis; copiose in der Brühl am Wege zum Husarentempel und jenem am Hundskogel. Ap. May.
3. *ampullacea*. Good. (I. 99) ad aquarum ripas, in Moosbrun im Verlaufe der Strasse nach Ungarn, nachdem man die zweite Brücke vorüber ist, rechts am Wassergraben. My. Jny.
4. *brizoides* L. (I. 47) in sylvis montanis; In Mauerbach am Wege nach Gablitz gleich bei Anfang des Waldes. My. Jny.
5. *caespitosa* L. (I. 91) in pratis humidis circa Moosbrun et Eber-gassing Ap. My.
6. *campestris* Host (IV. 88) in collibus herbidis arenosis; auf der Türkenschanze und hinter den südöstlichen Winkel des Laerwälchens auf den Weideplätzen. Ap. My.
7. *clandestina* Good (I. 67) in collibus apricis; auf der Türkenschanze gegen Gersthof. Ap. May.
8. *crassa* Ehrh. (I. 93) in aquis stagnantibus; am südlichen Canalufer gleich ausser der St. Maxer-Linie. Ap. My.
9. *Davalliana* Sm. (I. 41) in pratis humidis; in Dornbach links auf der grossen Wiese am Wege gegen die hohe Wand. Mz. Ap.
10. *digitata* L. (I. 60) in sylvis montanis vulgatis; am Kobenzel, Hahlenberge, Dornbach. Ap. May.
11. *distans* L. (I. 77) in locis humidis, in der Brigittenau mit c. *intermedia*, am südlichen Canalufer ausserhalb der Linie, in Dornbach auf den Wiesen. Ap. My.

12. *divulsa* Good, (I. 55) in locis sylvarum umbrosis; in Dornbach an der Strasse auf die hoge Wand, sobald man eine Strecke im Walde aufwärts gekommen. My. Jny.

13. *Drymeja* Ehrh. (I. 84) in locis umbrosis sylvarum; Dornbach cum c. pendula.

14. *filiformis* L. (I. 86.) in paludibus prope Ebergassing et Moosbrun. D. Garovaglio. Ap. My.

15. *flava* L. (I. 64) in locis humidis; im Prater am Donauarm gegen den Feuerwerksplatze, in Dornbach auf der grossen Wiese. Ap. My. Jny.

16. *fulva* Good. (IV. 95) in locis humidis; Dornbach grosse Wiese, Bisamberg vor dem Magdalenenhof, vor Kottingbrun neben der Strasse in den Wiesen.

17. *glauea* Scopol. (I. 90) in locis humidis sylvaticis vulgaris; in Dornbach ubique.

18. *gynobasis* Vill. (I. 70) in collibus herbidis; in der Brühl am Ende der Papelwiese rechts über den Bach (C. Haller), hinter Petersdorf auf den grasichten Hügeln. Aninger, Eisernes Thor. (frtrs. Helm.) Ap. My.

19. *hirta* L. (I. 96) in locis spongiosis humidis et quoque arenosis siccis; Türkenschanz, Canalufer, am nächsten an der Basteimauer zwischen den Franzens- und Burgthor. Ap. My.

20. *hordeiformis* Host. (I. 76) in locis humidis, hinter den Laerwälzchen bei der zweiten Ziegelscheune am Ausflusse des Sumpfes; Moosbrun ausser dem westlichen Ende des Dorfes an der Strasse. My. Juny.

21. *Hornschurchiana* Hpp., häufig in Dornbach auf der grossen Wiese D. Fenzl, in den Sümpfen um Himberg. D. Welwitsch.

22. *intermedia* Good. (I. 50) ad aquarum ripas, in der Brigittenau ausser den Schenken links vom Damme ab in der Wiese, im Prater entlang den Ufern des Donauarms vom Feuerwerksplatz. My. Jny.

23. *longifolia* Host. (IV. 85) in sylvis umbrosis prope Mauerbach cum c. brizoide. My. Jny.

24. *Michelii* Host. (I. 72) in collibus herbidis arenosis; am Wege von Pötzleinsdorf nach Dornbach bei der Aussicht vom Parke des B. Geymüller, Ap. May.

25. *montana* L. (I. 66) in pratis apricis, frequenter Dornbach, Kobenzel. Ap. My.

26. *muricata* L. (I. 54) in pratis humidis, locis arenosis. Im Belvederegarten unter Gebüschen. Ap. My.

27. *nemorosa* Rebent., in dumetorum umbrosis: in der Brigittenau links im ersten Haine am Wege vom Augarten auf dem Damme fort. My. Jny.

28. *nitida* Host. (I. 71) nur auf der Türkenschanze. Ap. My.
29. *nutans* Host (I. 83) kommt nur in der Mitte des Laaerwäldchens auf einer Stelle vor. Ap. May.
30. *Oederi* Retz. (I. 65) in locis paludosis, Moosbrun und Schwaa-dorf rechts an der Straße. My. Jny.
31. *ornithopoda* Willd. (I. 61) gleich hinter Petersdorf auf den kahlen Grashügeln. May.
32. *ovalis* Good. (I. 51) in locis humidis umbrosis frequens; in Dornbach an den naßen Gräben unter Gebüschen, links gegen die große Wiese. Ap. My. Jny.
33. *pallescens* Ehrh. (I. 74) in pratis humidis. Dornbach auf der großen Wiese. Ap. My.
34. *panicea* L. (I. 59) cum praecedente.
35. *paniculata* L. (I. 58) in locis palustribus; Moosbrun auf der Straße nach Ungarn eine Strecke links im ärgsten Sumpfe mit *Cochlearia off.*, *cladum germanicum* und *gladiolus imbricatus*. My. Jny.
36. *paludosa* Good. (I. 92) ad aquarum margines, im Prater D. Garovaglio.
37. *paradoxa* Willd. (I. 57) in pratis palustribus; ausser Himberg gegen Moosbrun rechts von der Straße in den Sumpfwiesen. D. Wel-witsch. My. Jny.
38. *pendula* Good. (I. 100) in locis humidis sylvarum; Dornbach auf der Straße zur hohen Wand. My. Jny.
39. *pilosa* Scop. (I. 78) in sylvarum umbrosis; in Dornbach und neben c. Michelii an benanntem Orte unter den Gebüschen. Ap. My.
40. *pilulifera* L. (IV. 84) cum *carice longifolia*. My. Jny.
41. *praecox*. Jacq. (I. 68) in pratis herbidis siccis im Prater. Ap. May.
42. *Pseudo-Cyperus* L. (I. 85) ich fand ihn nur durch die Güte des Hrn. k. Rethes Köchel und des Hrn. Hofsekretärs Enderes, vor Soos in einen kleinem Sumpf, auf dem Wege von der Weilburg dahin rechts; in Moosbrun ist er verschwunden. May. Jny.
43. *remota* L. (I. 52) cum c. *divulsa*. My. Jny.
44. *schoenoides* Host (I. 45) neuerdings auf der Türkenschanze an ihrer nordwestlichen Ecke aufgefunden. Dolliner. My.
45. *Schreberi*. Schrk. (I. 46) in collibus herbidis; auf der Türkenschanze. Ap. My.
46. *stenophylla* Wahlb. (I. 44) in pratis siccis arenosis; auf der Türkenschanze gegen Gersthof, hinter den Laaerwäldchen bei der ersten Ziegelscheune. Ap. My.
47. *stricta* Good (I. 94) cum c. *paradoxa*. Ap. My.

48. *tomentosa* L. (I. 82) in pratis humidis; im Prater am Feuerwerks-Donauarme, Dornbach mit c. panicea. etc. Ap. My.

49. *vesicaria* L. (I. 98) in fossis et aquis stagnantibus; im Prater im Verlauf des benannten Donauarms, in der Brigittenau hinter den Schenkhäusern. My. Jny.

50. *virens* Lam. (IV. 81) cum c. muricata et divulsa.

51. *vulpina* L. (I. 56.) ad aquarum margines vulgaris; am südlichen Canalufer inner und ausserhalb der Linie. Ap. My. Jny.

---

# Theses defendendae.

## I.

Sententia eximii Prf. Mohs: Historia naturalis est scientia, quae naturae producta secundum eorum identitatem, homogeneitatem atque similitudinem comparat, ratione earum proprietatum, quibus notantur in statu originario immutatoque et hanc comparationem applicat ad formandas exinde ideas atque conceptus, quibus consequenti modo objecta ordinentur, denominentur, distinquantur eorumque notio et absque ipsorum immediata praesentia producatur i. e. describantur: continet unicam verissimamque illius definitionem.

## II.

Et Zoologia et Phytologia scientiae nomen tamdiu non merentur, quamdiu huicce definitioni non correspondentes construuntur.

## III.

Natura nonnisi entia singula non autem species, quae jam reflexione nostra producti conceptus plurium individuorum sunt, producit.

## IV.

Individua physiographice homogenea dant materiem speciei illorumque conceptus systematicus est species ipsa.

## V.

Dignitas proprietatis cuiusdam naturae productorum, ejus-

que in historia naturali utilitas, nec dependet, quatenus haecce proprietas vulgaris, nec quatenus multipliciter variabilis sit: sed solum quatenus plus minus secundum determinatas apparere solet leges.

### VI.

Principium similitudinis est directorium in componendis generibus, ordinibus, classibus, est principium mere regulativum, non constructivum; hinc errant qui similitudinem in naturae productis constructione agnoscere volunt.

### VII.

Chemia qua pars physices historiae naturali innititur et non nisi hac absoluta absolvit potest.

### VIII.

Sicuti historia naturalis ad naturae producta, sic nosologia ad morbos se habet: nam principium cuique est idem, methodus generalis eadem, solum differt objectum.

### IX.

Et quousque nosologia qua scientia mere physiographica omni numero absoluta non fuerit, lanquebunt reliquae de morbo scientiae.

### X.

Systema nosologicum et systema therapeuticum secundum principia iisdem propria perfecte constructa sibi invicem parallele decurrerent; hinc ex determinato morbi ordine, therapiae ordo; ex determinato morbi genere atque specie therapiae quoque genus atque species determinari posse, scientia exigit.

## XI.

Variola, varicella, variolois facillime per formas iisdem intermedias ad ininterruptam seriem et per hanc sub homogeneitatis conceptu redactae, ad speciem pathologicam unam junguntur.

## XII.

Natura ulcerum, species a chirurgis statutas per formas intermedias saepe conjungens: theoriae ludibria, rixosis lanam caprinam praebet.

## XIII.

Phthisis Proteus morborum.

## XIV.

Inter gravissimas hypochondriae, hysteriae, autochiriae et vesaniae in civitatibus majoribus endemicae causas, refertur vivendi modus naturae contrarius: ejusque flores luridi; onania, salacitas, indifferentia aut perversitas moralis.

## XV.

Partus officium feminae naturalissimum, tam raro absque morbo absolutum, proh dolor! magnum a natura recessum illis inculeat.

## XVI.

Non nisi libera et aequabilis omnium quibus gaudet homo virium evolutio ejusdem fini respondet; et qui unam alteramve negligit, hac dein mox privatus, naturae poenam merito luit ipsi latam.

## XVII.

Hinc educatio salutis faber et male sanitati consultit, quae anxie omnes arcet influxus nocivos.

## XVIII.

Civium ordines statum caelibem secum involventes, eo minus probat medicina publica, quae sano numero-  
soque in civitate populo p[ro]a reliquis prospicit.

## XIX.

Venaesectio, aqua, vesicantia in phlogosi primaria.

## XX.

Ast non ubique ubi phlogosis antiphlogistica, ubi nev-  
ropyra stimulantia, ubi syphilis mercurialia, nec ubi-  
que ubi morbus ibi medicus juvat.

## XXI.

Nam: abstine et sustine est Recipe naturae; et animo  
fortis morbos saepe repellit, praesentes frangit, in-  
sanabiles mitigat.


## XXII.


Si aegrum non semper εὐβοήτων, saltem saepe εὐσάνατον  
reddere potes: revera parum solatii et aegro et  
medico praebet.

## XXIII.

Nosodochia medico, quod prata phytophilum. —








UB Med Uni Wien



+AM273377308



[www.books2ebooks.eu](http://www.books2ebooks.eu)